



**R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Olim
Primarij Theologiae Professoris emeriti, Opvs De Triplici
Virtute Theologica, Fide, Spe, Et ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1622

Sect. 7. De causis, & effectibus prophetiae.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93448](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93448)

supernaturalis natura sua permanens, & durans per modum habitus, quo possint videri occulta, quæ in prophetia manifestantur, præter lumen gloriæ. Hoc autem falsum est, ut patet in scientia infusa animæ Christi. Quod si dicitur illam habuisse dependentiam à lumine gloriæ: certè nulla apparet repugnantia, quod fiat aliud simile habitus à donum absque illa dependentia. Supponit præterea Caietanus, dari supernaturalem lumen, quod ex parte potentie sit principium actus, & iudicii supernaturalis, ita natura sua transiens, ut specie differat à lumine permanente, etiam respectu eiusdem actus, & obiecti, quod mihi etiam falsum videtur, ut in prima parte ostenditur. Quia omne lumen supernaturale vera est qualitas: cuius esse non in fieri, sed in facto esse consistit: & quia supernaturale est, vendicat subiectum perpetuum. Unde si contrario careat, ut in præsentia euectaret, naturam suam esse permanentem, neque obest, quod à Deo dependeat in conservari, id enim lumen gloriæ, & fidei, etiam sortuntur. Et hoc ipsum confirmat exemplum de lumine corporeo existente in aere, quo abutitur Caietanus, non enim est illi essentialis, esse in transitu, & in fieri, cum sit qualitas natura sua permanens, dependens licet à causa superiori in fieri, atque esse, quod qualitati permanenti non derogat. Per accidens verò est, quod nunc citò transeat, quodque causa illius perpetuo motu cietur. Tertio sumit Caietanus in suo discursu, assensum propheticum nunquam procedere à voluntate inclinante, cuius contrarium ostendimus. Non ergo conclusionis ratio est, quod illius oppositum repugnet, sed quia non oportuit, neque decuit.

Vide lib. 2.
de attributis
c. 16. nu. 4.

Vera ratio
triplicis cō-
gruentiæ pro
asserione.
1. Congru-
entia.

Secunda.

Tertia ex D.
Thoma.

Assert. 2.
probat.

Suadet 1.
ex script.

Et ratione.

Primum ut Gregorius supra cap. 17. ait ne mens prophetæ in præsumptionem eleuetur. Et Eucherius, ut hac ratione humiliat ei excellentes viros, ac se esse ignorantes fateantur solam divinam gratiam posse assequi talem cognitionem. Secundò ita expediebat fini prophetiæ, qui est utilitas fidelium, ut tunc scilicet daretur, cum esset opportuna: ne tantum donum inter homines vile sciret. Tertio per modum congruentie, accommodari potest ratio Divi Thomæ, quia prophetia est præcipue de futuris contingentibus, quorum præsentia soli Deo est connaturalis, & vitæ dicam, habitualis: atque adeo non decuit purum hominem præcognoscere per modum habitus hæc futura, præter beatos qui Deo ipsi sunt excellenti illo modo uniti.

8. Dico secundo. Prophetiæ donum communiter non datur, per modum habitus, simpliciter loquendo: etiam respectu eorum, quæ reuelantur. Hæc conclusio non est tam certa, sicut præcedens: attamen illam etiam videtur intendisse D. Thomam, adductis nonnullis scripturæ locis. Nam ubiqueq; sermo est de prophetica cognitione et explicatur tanquam consistens in actuali Dei locutione, veluti cum dicitur. *Factum est verbum Domini. Loquutus est Dominus. Mane erigit mihi aurem, ut audiam quæ loquatur mihi Magister.* Ratio vero est, quia prophetia simpliciter, non dicitur de quacunque cognitione rei futuræ, vel occultæ: nos enim multa occulta, & futura cognoscimus, nec tamē cognitionē propheticā habemus; includit ergo cognitio prophetica singularem reuelationem, & locutionem Dei ostendentis peculiari modo, quæ occulta sunt, factamque proinde in fiat cuiusdam impressionis transeuntis, ita ut in potestate hominis non sit eo modo cōcipere, vel apprehendere res quoties libuerit, aut efficere, ut Deus ad ipsum ita loquatur. Inferes, ergo actu prophetæ ille solum est, qui actu reuelationem suscipit. Neganda tamen illatio, ac dicendum cum Divo Thoma articulo secundo, ad secundum citato, dici etiam prophetam posse cui non actu sit reuelatio, seu quia ex præcedentibus reuelationibus manet aliquo modo dispositus ad percipiendum divina: seu quia deputatus à Deo est, ut prophetiæ munus suo

tempore exerceat iuxta id Ierem. 1. *Prophetam in gentibus dedite.* Quomodo Num. 11. asseritur septuaginta viros à Moyse electos recepisse spiritum Domini, & prophetasse, & nunquam amplius cessasse: non quod semper prophetaverint, sed quod re esse non fuerint à mune, & prophetandi, ac certis temporibus receperint divinas reuelationes prout expediebat.

9. Nihilominus tertio dicendum est, ex prophetica reuelatione manere aliquid per modum habitus in propheta; quod interdum non est essentialiter diversum à lumine, quod assensum præbuit prophetiæ reuelationi: Probat primum, quoniam prophetæ recordantur eorum, quæ videntur, manent ergo in eis species. Deinde transacta reuelatione, indicant de veritate eius, tanta certitudine, quanta iudicaverant dum perageretur: ergo habent habitum, & aliquod principium, quo assentiuntur, atque videntur, cum libuerit. Quocirca si reuelatio prophetica fuit inevidens, lumen quod fuerat principium assentiendi, quod adhuc manet, secundum substantiam idem est: nimirum lumen fidei, ut ostendimus sect. præced. quantis non maneat sub ratione prophetici luminis, sed simplicis fidei, eo quod prophetica cognitionem exercere nequeat cum non maneat coniunctum cum eis speciebus omnibus, aut certe cum omnium usu, & apprehensione: id enim non semper in voluntate prophetæ situm est, ut in num. 6. notavi, sed ex peculiari Dei motione pendet. Quod si cognitio fuit evidens, lumen quidem, quod in instanti reuelationis datur ad assentiendum, aptum de se esset ad permanendum: non tamen crediderim permanere, tum quia consentaneum non est puro Viatori, tum ob congruentias alias in num. 7. adductas. Ac patet in Paulo, & Moyse, si elevati credantur ad Deum videndum in vita mortali.

Assertio 1.
bimembra.

Suadet 1.
membrum.

Declaratur
2.

SECTIO VII.

De Causis, & Effectibus prophetiæ.

TRaſtantur hæc à Divo Thoma 2. 2. q. 172. Ac suppositis, quæ diximus, difficultatem non habent. Nam si loquamur de causa formali, nullam habet prophetia præter suam essentiam, est enim ipsa quædam forma. Si de finali, dictum est, dari ob utilitatem aliorum, qui est finis extrinsecus, ex Dei voluntate, seu intentione pendens. Nam intrinsece ipsa est propter cognitionem obiecti, quæ per se magna perfectio est, communicarique potest homini interdum, propter singularem eius dignitatem, & excellentiam, ut Beate Virginis. Unde obiter etiam liquet, quis sit effectus prophetiæ, scilicet utilitas aliorum, & confirmatio fidei per cognitionem, & prædictionem occultorum. De causa efficiente superius ostensum est, principalem esse Deum supernaturaliter operantem, atque adeo divinationes illas, quæ demonum virtute fiunt, veras non esse prophetias. Concurrent autem aliquando Sancti Angeli, ut Divus Thomas articulo secundo ait, & Caietanus bene explicat, tanquam ministri, vel instrumenta Dei non infundendo species, aut lumen, neque per se efficienter mouendo intellectus, aut voluntates prophetarum, sed applicando obiectum per similitudines, vel phantasmatas similia, ac docendo instruendoque hominem, ut latius in prima parte exposuimus: atque etiam, An omnes prophetiæ reuelationes ministerio Angelorum sint factæ. Unde improbat error relinquitur error eorum, qui prædictiones omnes propheticas, nescio in quam virtutē occultam referre conantur, cum quibus latè disputat Medina lib. 2. de reſta in Deum fide c. 1.

Causa formalis, & finalis prophetiæ.

Causa efficiens
Angelus cause
instrumentales reuelationum.

Habetur iam
in lib. 6. de
Angelis cap.
16.

Causa subiectiva,
rationem

2. Vicina causa prophetiæ est subiectiva, quæ

SECTIO VIII.

De distinctione Prophetie, variisque ipsius modis.

Tota quæstio obiter fere exposita est in præcedentibus: sed ad complementum doctrinæ, varias prophetie diuisiones breuiter explicabimus.

Sunt enim in prophetia multa: obiectum materiale, & formale: subiectum: & eleuatio mentis. Ex quibus omnibus capitibus diuidi solet prophetia.

Prima ergo diuisio fit in prophetiam præscientiæ, prædeterminationis, & comminationis, quæ est D. Hieron. & Glossæ ordinariæ Matth. 1. D. Thom. 2. 2. q. 174. artic. 1. secundum membrum omisit, quia in primo includitur. Sensus autem diuisionis, patet ex supradictis: propriè enim diuisio hæc sumitur ex obiecto materiali, eo quod aliter affirmatur res futura in prophetia comminationis, scilicet sub conditione, vel in causa: aliter in præscientia, scilicet absolute, & in se. Vnde diuersum est, quod in vtraque reuelatur: & ad hunc modum diuidi potest prophetia, in prophetiam futurorum, præteritorum, & præsentium. Aut aliter, in eam, quæ est occultorum ex distantia loci: vel ex distantia temporis, vel ex conditione ipsarum rerum, quæ vel supernaturales sunt, vel cogitationes cordium, qua ratione ad discretionem spirituum spectat, ut dictum est. Secunda diuisio prophetiæ est in euidentem, & obscuram: quæ propriè sumitur ex obiecto formali, & causat diuersitatem specifi-

Modi alii proponendi primam diuisionem.

2. Diuisio.

3. Diuisio quæ late præsequitur ex Abul. Petrus Thyreus de apparitionibus per lib. quart.

cam, quæ in prima diuisione non reperitur. Atque hæc omnia patent ex dictis. Tertia diuisio. Alia prophetia fit per obiecta sensuum externorum, Alia per imaginariam visionem: Alia immediatè in intellectu. Ita Hieronymus Abacuc 2. Psal. 84. & latius Gregorius 28. moral. capite 2. qui in singulis membris varias assignat differentias, sed accidentarias omnino, & materiales, sumptas nimirum ex diuersitate rerum, quibus exterius vel interius Deus ad homines loqui potest. Idem habet August. citato lib. 2. ad Simplician. quæst. 12. & in superioribus satis eam diuisionem exposuimus.

2. Et D. Thomas multa de eadem diuisione differit in quæst. 174. vbi artic. 2. ad 3. inter alia, dicit prophetiam purè intellectualem, esse perfectiorem cognitionem, à ratione tamen prophetiæ deficere, quia prophetia est imperfecta cognitio, & remota ab intelligibili veritate, cognitio autem qua conspicitur ipsa veritas intelligibilis, multò perfectior est minus propriè: ergo dicitur prophetia: in quo certè indicat, quod supra dixi, prophetiam cognitionem esse euidentem, quod fortasse interdum contingit, sed non videtur necessarium: imò per se loquendo non oportet illa tria membra esse semper specie diuersa. Nam eadem res, quæ sensibilibus signis exterius proponitur, posset immediatè proponi per similitudines imaginarias, & purè etiam intellectualem, tam in cognitione obscura, quàm in euidenti. Vnde Augustinus. duodecimo Genes. ad lit. capite 9. prophetiam imaginariam purè intellectualem præferre videtur: quia cum vtraque sit imperfecta cognitio, atque in intellectu corpori coniuncto, non impeditur, sed iuuatur potius per similitudines imaginationi propositas. Concordari tamen ita possunt: Nam purè intellectualis cognitio ex suo genere, & modo perfectior est, quanuis alia sit homini magis accommodata, atque adeo interdum possit excellere. Quod verò D. Thomas ait, hoc genus prophetiæ, quando includit inspectionem claram veritatis, deficere à ratione prophetiæ, ad modum loquendi fortasse magis spectat, quàm rem distinguit. Constituit præterea D. Thomas in illo art. 3. etiam infinitum purè interiorem in infimo loco. Sed intelligendum,

Expenditur quæ D. Thomas circa diuisionem scribit.

rationem habet causæ materialis: de qua primò dicendum, eam debere esse creaturam rationalem, cum irrationalis capax non sit intelligentiæ. Secundò, propter rationem contrariam, omnem rationalem creaturam per se loquendo esse capacem huius doni. Hinc terriò, quilibet viator esse potest subiectum prophetiæ non obstante quacumque morali, vel naturali dispositione praua, non quidem naturali, quia Deus Author prophetiæ vincere potest talem dispositionem, vel illam remouere: sic enim homines lingua impeditos facit eloquentes, vt Exod. 4. Ierem. 1. Vnde licet in homine impedimenta inueniantur vsus rationis, Deus tamen potest, vel illa auferre, vel illis non obstantibus eleuare mentem ad spiritualem intelligentiam sine dependentia à sensibus. De dispositione etiam morali patet, quia donum hoc non requirit per se, coniunctionem per charitatem cum Deo: & certum est interdum communicari peccatoribus, vt docet Hieronymus in id. Matth. 7. *Domine nomen in nomine tuo prophetauimus*? Et August. lib. 3. quæstionum, quæst. 79. & lib. 2. ad Simplician. quæstione 1. Vnde est illud 1. ad Corinth. 13. *Si habuerio prophetiam, charitatem autem non habeam.* D. Thomas etiam artic. 6. adhibet exemplum de Balaam, Numer. 22. diuinante Dæmonis arte, vt colligitur ex capite 20. Leuitici, cum tamen aliquando prophetauerit diuino spiritu, prædicando incarnationem, & capite 21. dicitur, Deum illi fuisse locutum. Idem docet August. tum supra, tum ferm. 103. de tempore, & Abulens. Iosue 13. quæst. 14. & Num. 22. quæst. 3. Adhibet rursum D. Thomas exemplum in Sybillis, de quibus tamen quicquid Abulens. ea quæst. 14. & alii contendunt, non satis constat, quales fuerint, vt Caietanus aduertit. Quartò Anima etiam separata, quæ nondum peruenit ad terminum, est capax huius doni, vt docet D. Thom. quæst. 174. artic. 5. ad 4. exemplo animæ Samuelis Ecclesiast. 46. Quintò de Beatis, D. Thomas 2. 2. quæst. 174. artic. 5. & 3. p. q. 7. artic. 8. negat eos esse capaces prophetiæ: sed intelligendum formaliter, quia vt beati sunt, habent altioris cognitionem: tamen in re dubium non est, quin simul habere possint cognitionem rei futuræ eiusdem rationis cum cognitione prophetiæ, & patet in Christo, & cognitionibus, & reuelationibus, quas beati habent extra verbum. Vult tamen D. Thomas hanc cognitionem in Beato, vt sic, non esse ex parte subiecti prophetiam, sed ex parte solius cognitionis: eo quod propheta propriè dicatur, qui cognoscit, quæ ratione status sibi occulta sunt, atque procul: respectu autem beatorum (considerando illorum statum) nihil est procul, quia in se habent fontem scientiæ, in quo vel formaliter, vel causaliter, omnia, quæ oportet, videant, qua ratione intelligi potest illud Pauli. 1. Cor. 13. *Sine prophetia euacuabuntur* &c.

3. Vltimo dæmones quoque sunt capaces reuelationis prophetiæ, quæ interdum fit ipsi per Angelos Sanctos, vt Augustinus docet 12. Genes. ad lit. cap. 19. Et D. Thomas q. 172. artic. 6. Existimo autem ita fieri reuelationes Dæmonibus, vt propriè non eleuentur ad cognitionem supernaturalem ex parte potentiæ, & obiecti formalis: quia licet hoc non repugnet, non tamen est conueniens eorum statui. Satis ergo est ita doceri ab Angelis, vt ipsi conuincantur ad credendum ex euidentia aliqua signorum, vt aliàs dictum est. Respectu autem nostri nunquam sunt dæmones veri propheta: tum quia nunquam sufficienter nobis proponunt, quæ ipsi cognoscunt, tum quia sunt prorsus indigni quibus fidem adhibeamus.

Beati vt possunt esse causa subiecta prophetiæ.

Præterea dæmones.

lib. 2. angelis 1. q. 114. a. 5.